

trescat, fit scabies: & secundum maiorem & minorem adustionem, fiunt istae affectiones cutis. Et hinc etiam senes facilius patiuntur pruritus, & inmedicabilem, quia in senibus sunt plurimi humores falsi & adusti. Habemus igitur causas horum trium symptomatum. His ita se habentibus vnum dicam circa Prognosticum. Quod ad podagram confirmatam non video curationem. Quantum ad humorem affluentem, si possemus corrigere membra mandantia, possemus etiam prohibere affluxum horum humorum. Quod ad euacuationem idem dicendum, quia pendet ab eadem causa: & si possemus, emendare illa tria membra, fortasse iuuare possemus. Quod ad euacuationem, vtrum debeamus procedere cum balneis? Et non immerito facta est difficultas & dubitatio inter excellentissimos Doctores. Quia si possemus nutrire corpus, & augere humidum in hoc corpore, ego crederem quod reliqua faciliora etiam essent. Quae via ergo melior? Propositus est & vsus lactis & apertio meatuum, &c. Sed quoniam ista humectatio fieri non potest, nisi fiat attractio nutrimenti ad membra, & oportet vt penetret, & vt calor membri, qui est elixans, augeatur, ideo debet augeri calor membrorum, & corroborari, ne tamen fiant membra ita laxa, vt non possint humiditatem concoquere & dilatare. Et ideo Galenus optime voluit fieri balneum, licet balneum distillare faciat. Ideo etiam voluit quod subito post balneum debemus vel irrorare corpus aqua frigida, vel inungere oleo quodam constipante, vt alimentum retineatur. Et sic ego non video quomodo ista balnea possint impedire operationes nostras: primo quia corroborant membra, & attrahunt alimentum, & colliquant excrementa, & sic fortasse etiam iuuabunt podagricos dolores, quia illa membra non nutriuntur, sed habent excrementa plurima cruda. Et non semper ista balnea faciunt defluere humores, si non sint humores multi: & quantum aliquid defluat, potius erit ad bonum. Et sicut Galenus de oxymellite dicit, idem etiam de hoc auxilio dicere possumus, nullum praesidium tam bonum esse, quin habeat aliquod nocumentum. Nolite ergo ita abhorre ab his balneis. Et sic post balneum applicarem oleum rosaceum simplex, quod confortat, & prohibet ne corpus resoluatur laxatum per balneum. Sunt etiam aperienti meatus intrinseci, non extrinseci. De lacte mihi summopere placeret post euacuationem, sed non mulieris, licet hoc sit convenientissimum ad alendum, propter salacitatem, quia est salacissimum. Syrupum darem ex fero caprino, & imponerem oxymel, & mel rosatum pro corroborando ventriculo. Rasis dat quinq; heminas oxymellis. Cassiam laudarem cum syrupo rosato. Dari posset lignum, & aqua ligni: sed lignum non sit exiccatum. Primo euacuetur, postea detur lac, & corroboretur calor innatus.

CONSILIVM CCCL.

De vlcerebus cacoethis Gallicis in vtroque crure cum tumore splenis, pro iuvene Vicentino.



REDO tumorem non in ipsis musculis esse, sed in liene, qui grauis factus descendit, & demittit materiam ad crura: inde pessima vlcera corrosiua, liuida, habentia labia dura. Hae enim sunt conditiones vlcereis maligni.

Prognosticum. Credo quod curabitur, si recte procedatur, & ipse obtemperet.

Curatio autem indicia a natura morbi & causarum eius habet. Morbi hic sunt in complexionem & compositionem, quia tumores & vlcera: sed a complexionem incipiendum, illa non simplex, sed cum materia, ideoque materia euacuanda. Verum quia vniuersalia particularibus praecedere debent: ideo primum fiant vniuersales, postea particulares euacuationis. Cum vero melancholicus humor multiplicatus sit in venis, debet euacuari per missionem sanguinis. Quare ab ea incipiendum, facta prius minoratione materierum contentarum in viis ductuum, sicut dicunt illi. Darem igitur bolum ex cassia & hiera, postea mitterem sanguinem ex basilica sinistri lateris, vt fieret diuersio per rectum, & singulis vicibus extraheret ℥.iiij. & iterarem vsque ad tres vices, ita vt extraherem libram vnam. Deinde acciperet syrupum mundificantem sanguinem.

R. Aquae lactis ℔.j.

Folliculorum senae,

Polypodij ana ℥.iiij.

Liquiritiae rasae ℥.j.

D Infundantur in praedicta aqua per totam noctem. Deinde facta diligenti expressione & colatura.

R. Syrupi de fumo terrae,

De cichorea Nicoli sine rhabararo ana ℥.j.

Bibat totum vno mane si potest actu calidum: si non potest, diuidat in duas partes, & hoc pro vna, sic pro aliis. Humor melancholicus primo est humectandus, postea incidendus. Non ante, vt bene dubitat Auicenna. Postea euacuarem cum euacuatione ex hamech, cum syrupo rosato solutiuo. Quibus factis,

R. Confectionis hamech ℥.iiij.

Syrupi ros. sol. ℥.iiij.

Cum aqua fumiterrae fiat potus.

Quibus factis accederem ad syrupum nostrum magistralem de helleboro, quo exquisitè euacuatur humor melancholicus, vt sit mirum aspiciendi, quam nigram materiam educat, sine omni molestia. Dum illi syrupi exhibentur, interim velim facere emplastrum circa regionem splenis, ex bdellio & ammoniaco ana ℥.j. dissolutis in aceto squillitico quantum satis, & adhibere postea hoc linimentum:

R. Hyssopi humidæ,

Ladani pinguis ana ℥.s.

Agarici electi,

Corticum,

Radici capparorum ana ℥.ij.

Olei amygdalarum amararum,

Butyri recentis,

Axungiae porcinae sine sale ana ℥.j.

G Cum modico cerae, fiat linimentum pro splene, cui praemittatur semper talis fomentatio:

R. Foliorum chamomillae,